



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Alia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

cipem & ab illius ore pendere, unde tot Effata,
tot Themidis oracula prodeunt.

Hac ego fretus expectatione multò magis,
quàm ullâ sagacitate mentis aut industria, aggre-
diar, &c.

A L I A.

Quod ambieram votis omnibus, & quod tenui-
tatis meæ conscius vix audebam mihi polli-
ceri S. P. I. Præsid. Ill. &c. id hodie non
sperare modò posse videor, sed etiam singulari
humanitatis vestræ beneficio propè concessum
gratulari. Tamen cogitanti mihi, quanti sit in hoc
verendo Themidis sacrario, tot inter clarissimos
Magistratus locum occupare, impensus à vobis
favor neque metum abtulit omnem, neque solici-
tudinem exemit. Nam cum conjicerem oculos
in unumquemque vestrùm, quos spectata probi-
tatis fama, Religionis studium, æquitatis com-
mendatio, rerum forensium experientia huic urbi
regiæ tam spectabiles, totique Regno tam verendos
effecit, sensi quantis instructum præsidij o-
pporteat eum esse, qui venire vobiscum in tanti
muneris societatem confidat. Ac licet nullis ego
laboribus, nec innatæ, si qua est, solertiæ parci-
tum hæcenus voluerim, ut imponendi mox one-
ris molem quoquomodo sustinerem, sentio nihi-
lo feciùs, quàm temerè ad tantum honoris fasti-
gium adspirarem, nisi ex assiduo vobiscum usu
certa potentissimi ad rem bene gerendam præsidij
spes affulgeret.

Scilicet vestra me omnium exempla rudem
adhuc inexpertumque rerum magnarum erudient,

X 4

&

& quotidianum perfecti absolutique Magistratus specimen ostentabunt. Felicem me fortunatumque S. P. I. Ill. Præsid. Senat. Clariss. si ponere in lucro possim tot momenta, tot incitamenta virtutum; si vestram in defungendo munere prudentiam, assiduitatem, diligentiam, integritatem possim æmulari!

Verùm ad istas, quæ mihi cum cæteris communes sunt, partes obeundas accedit aliud officij genus, quod mihi singulatim incumbit, cui exsolvendo par an futurus unquam ego sim, non ausim mihi polliceri. Intellego perenne quoddam grati ac memoris animi monumentum, quod à me pro jure suo postulat singularis illa humanitas ac benevolentia, qua parentem amantissimum per tot annos devinxistis. Conscius hic quidem quantum debeat vobis omnibus, & brevior ratus esse vitæ suæ terminos, quàm ut referre gratiam pro dignitate possit, voluit beneficij vestri memoriam in filio propagari, neque me tam paterni muneris, quàm sui erga vos studij atque observantiæ hæredem accedere. Hanc ego patris optimi voluntatem tueri sic conabor, ut à paternis moribus nihil degenerem filium approbetis. Aggrediar itaque, &c.

A L I A.

*Pro Candidato Magistratus Militiam
valem diu Professo.*

Innumeris per tot annos Pelagi circumactis erroribus, & varijs defunctum periculis tandem aura benignior tranquillum optatae salutis hujus